DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

EXHIBENS

HISTORIAM MEDICAM FOLIORUM DIOSMAE SERRATIFOLIAE,

AUCTORE

FRANCISCO GUSTAVO NOURIJ.

F. Baert

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

EXHIBENS

HISTORIAM BOTANICAM, CHEMICO-PHARMACEUTICAM ET MEDICAM FOLIORUM *DIOSMAE SERRATIFOLIAE* (VULGO FOLIORUM BUCHU).

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

SYBRANDI ELZONIS STRATINGH,

IN FACULTATE MEDICA PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, IN ACADEMIA GRONINGANA RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

FRANCISCUS GUSTAVUS NOURIJ,

DAVENTRIENSIS.

Ad diem xxx Maji MDCCCXXVII. Hora x.

1827

GRONINGAE,

Apud J. RÖMELINGH.

VIRIS CLARISSIMIS

PETRO DRIESSEN.

EVERARDO JOANNI THOMASSEN A THUESSINK.

GERBRANDO BAKKER.

SYBRANDO ELZONI STRATINGH.

PETRO HENDRIKSZ,
Medicinae Professoribus praeceptoribus summe Venerandis,

UT ET

VIRIS CLARISSIMIS

SYBRANDO STRATINGH,
Chemiae Professori,

ET

HERMANNO CHRISTIANO VAN HALL,
in Oeconomia Rurali Professori.

SACRUM.

L. S.

Dubitanti mihi ancepsque diu haesitanti, quamnam in conscribenda dissertatione, sumerem materiam, tandem suasu viri Cl. E. J. THOM. A THUESSINK, Promotoris carissimi visum est, pauca colligere eorum, quae nuperius circa foliorum Diosmae serratifoliae *et usum et vires Medicas innotuerunt; quod quidem argumentum eo lubentius arripui, quo majora, post Epidemiam adeo ferocem, illud remedium, diversis sub conditionibus, commoda praestiterit.*

Hasce igitur Studiorum primitias, Lector Benevole! indulgenti accipias animo, et viribus Juvenilibus condones, ubi forte incidas in ea, quae aut non satis subtiliter exposita, aut certe minus accurate expressa videantur.

Prae omnibus vero jubet grati animi sensus, ut vobis, viri Clarissimi, quos hac in Academia et antea in illustri Daventriensi Athenaeo habui praeceptores, et vobis prae ceteris, Medicinae professores, pro innumeris in me collatis beneficiis, pro omnibus praeceptis, consiliis et institutionibus gratum declarem animum; Deus optimus vos diu servet incolumes!

Tibi imprimis multa debeo, vir Cl. E. J. THOM. A THUESSINK, *quod tua doctrina, non tantum publica, sed etiam privata, frui mihi licuit, quodque tot et tanta humanitatis, amicitiaeque documenta mihi praebuisti, quot et quanta hic recensere nequeam.*

Ne-

Neque te vir Doct. J. B. DE LA FAILLE *praeterire queo, tibique maximas gratias ago pro omnibus beneficiis, consiliisque saluberrimis, quae mihi, aegrorum curam gerenti, numquam denegasti.*

Vobis quoque amici, quos hic relinquo, gratias habeo pro amicitia vestra; felices et diu vivatis, meique non obliviscamini!

Ut autem in pertractanda hac materia aliquem observemus ordinem.

I. *Brevibus hujus novi medicamenti historiam literariam praemittemus.*

II. *Descriptionem Botanicam tradituri sumus.*

III. *Experimenta aliqua Chemico-pharmaceutica exhibebimus.*

IV. *Vires medicas, tum ex aliis auctoribus, tum quoque ex propriis observationibus, exhibituri sumus.*

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

EXHIBENS

HISTORIAM BOTANICAM, CHEMICO-PHARMACEUTICAM ET MEDICAM FOLIORUM *DIOSMAE SERRATIFOLIAE* (VULGO FOLIORUM BUCHU).

CAPUT I.

Historia medicamenti litteraria.

Pertinet *Diosma* ad plantas medicas, efficaces illas, quas nuperrime in materiem medicam introductas, gaudemus. Medicamentum hoc ex *Promontorio Bonae Spei* demum anno 1823 in *Angliam* videtur esse translatum; saltem primus hujus mentionem fecit Doct. REECE, *Medicus Anglus*, in appendice ad Diarium Anglicum (*the Montley gazette of Health*). Hicce tractatus postea separatim editus est sub titulo; *a Practi-*

tical Treatise on the medical properties of the Diosma crenata or Buchu Leaves in allaying morbid irritation of the bladder, urethra, rectum &c. *London 1824*, cujus extractum dedit BUCHNER in *repert. tom.* XXII, p. 51—56. Ex quo patet, folia *Diosmae* et quidem variarum ejus specierum, ceu remedium domesticum jam diu adhibita fuisse in variis morbis, eadem fere ratione, qua nos utimur floribus *Sambuci.* Et *Angli* quidem ejus usum acceperunt ab indigenis *Hottentottis*, qui, testante SEBA, illam ad omnes fere morbos sanandos exhibebant. Imprimis cernebatur ejus usus in medicandis vulneribus, in morbis rheumaticis, in adfectionibus membranarum serosarum, in crampis; Cl. RICHARD in *Med. Bot. aus dem fr.* von KUNZE, tom. II, p. 1210, egregiam hujus plantae descriptionem dedit. Refert RICHARD hoc medicamentum jam anno 1823 in *Hollandiam* fuisse asportatum, ibique in vitiis digestionis medendis, in nephritide calculosa, in tollenda aucta sensibilitate et suppuratione vesicae, uti et in vitiis pro-

sta-

statatae adhibitum fuisse; porro in tollendis stricturis spasmodicis urethrae, in Gonorrhaea, tumore prostatae, pollutionibus, impotentia, urina involuntaria, aucta sensibilitate recti, et stricturis organicis hujus, cum cubeba et colchico autumnali mixta. Postea *Mac* DOWELL *Medicus Dublinensis* foliis *Buchu* saepe in inflammatione vesicae in senibus usus est; (*transact. tom. IV. etc. Johnson Med. Chir. rev.* tom. II. p. 4. April 1825, p. 485 et 486). Dum haec chartae mandabamus, *Londino* accipiebamus recentem tractatum viri Doct. REECE, *a Practical Treatise on the genital system etc. with an account of the Diosma crenata or Buchu Leaves*, in quo non tantum memorata observata Doct. MAC DOWELL, p. 32, sed etiam observationes Doct. REID in tollendis digestionis vitiis, ex nervosa affectione oriundis, et inde etiam producta renum et vesicae affectione, summis celebrat encomiis (p. 112). Speciatim autem repetit antea memorata, in peculiari tractatu in appendice (p. 117) de foliis *Buchu*, novasque plures addit observati-

tiones viri Doct. CUMMING aliorumque, in quibus virtus specifica foliorum *Buchu*, in tollendis vesicae incommodis confirmatur; observationes 19-his addit proprias, ex quibus apparet, hunc quoque virum istorum foliorum tincturae utilitatem vidisse, maxime in morbis renum et catarrho vesicae, in pollutionibus nocturnis, stricturis recti, imo in paralysi crurum, ex affectione renum orta. Cum autem omnes illas, de quibus diximus, observationes hic enarrare longum foret, et nimis limites hujus opusculi excederet, potius contenti erimus observationibus illis, quae nobis a nostratibus communicatae fuerunt. Doct. LIESCHING, qui primus copiam foliorum *Buchu* Amstelodamum transmisit, illud laudavit medicamentum valde incitans, quod interne adhibitum praesertim agat in cutem, quod promoveat perspirationem et sudorem, quod exanthemata propellat, et irregularem actionem organi cutanei corrigat, maximeque agat in organa generationi dicata, eorumdemque morbos sanet; quod praesertim secretionem urinae promo-

ve-

veat; quod cum successu, tam interne, quam externe adhibeatur, ad curandum rheumatismum, vitia catarrhalia pectoris; quod praeterea externe, ubi sicca imponatur, sanet inflammationes arthriticas cutaneas, cujus denique tinctura in topicis sugillationibus, contusionibus et vulneribus recentibus, ex aceto vel spiritu vini parata, felici cum successu applicetur. Quod quidem ad usum attinet, maxime valet ejus vel tinctura spirituosa vel infusio aquosa. REECE commendat infusionem saturatam aquosam; infusio ad unc. VI ter de die, tinctura bis de die ad cochlearculum parvum, extracti gr. X adhibetur. Primus in nostra patria observationes de hisce foliis publici Juris fecit Doct. JORRITSMA *medicus Hornensis*, qui ex literis acceptis a viro Cl. G. VROLIK *Amstelod. Professore* intellexit, eum ex qualitatibus sensibilibus conclusisse ad utilitatem hujus medicamenti in secretione morbosa muci renum et vesicae, et revera in his morbis egregios praestitisse effectus, imo et in debili digestione, et nimia secretione muci in primis viis et pul-

mo-

monibus suam habere utilitatem. His monitus Doct. JORRITSMA in 3 casibus vitiorum vesicae urinariae illud itidem optimo cum effectu adhibuit; vid. *Letterbode Febr. 1826 p. 116* seqq. Postea demum easdem vires in variis hujus morbi casibus confirmatas vidit, uti mihi literis, mecum a Cl. Promotore communicatis, innotuit. In Frisia quoque plures Medici, summo emolumento in vesicae catarrho illa usi sunt; simili felici eventu in hoc morbo illud exhibuit Doct. J. B. DE LA FAILLE. Denique et Doct. REECE et Doct. JORRITSMA vires diureticas hujus plantae eximias observarunt; easdem propriis observatis, in Nosocomio factis, in sananda hydrope asthenica abunde confirmatas vidimus.

Quum vero de viribus hujus medicamenti dein separatim dicendum sit, primo de planta ex genere *Diosmae*, tum de botanica ejus descriptione, dein de qualitatibus chemicis et pharmaceuticis dicturi sumus.

*

CA-

CAPUT II.

Descriptio

Diosmae serratifoliae.

Difficilior, quam primo intuitu videatur, plantae nostrae est cognitio. Genus enim *Diosmae* ex plantis exoticis unice compositum, nostris temporibus tam magna specierum copia auctum est, ut singularum harum notitia admodum obscura facta sit, sic ut e multis unum modo exemplum afferam, CANDOLLIUS in novissima *Systematis naturalis vegetabilium Prodromo* (1824 I p. 713) species, quas hujus generis novas possidebat, data opera reticuit, dum generis *confusionem jam nimiam augere nollet.* Ipsum genus in plura genera minora, uti *Adenandra Barosma*, *Bucco*, *Hartogia*, *Agathosma* caet: divisum fuit; haec vero a recentissimis scriptoribus CANDOLLIO, SPRENGELIOque ad antiquum genus *Linnaeanum* relata

ta sunt. Hujus itaque definitionem *genericam* adducere juvabit.

DIOSMA.

CALYX: *Perianthium* pentaphyllum, foliolis ovatis, acutis, persistentibus.

COROLLA: Petala quinque, ovata, obtusa, sessilia, erecto-patula.

Nectaria quinque, germini imposita.

STAMINA: *Filamenta* quinque subulata. *Antherae* subovatae, erectae.

PISTILLUM: *Germen* coronatum nectario. *Stylus* simplex, longitudinis staminum. *Stigma* obsoletum.

PERICARPIUM: Capsulae tres s: quinque, ovato-acuminatae, compressae, margine introrsum coalitae, apicibus distantes, sutura superiori dehiscentes.

SEMINA solitaria, oblonga, ovato-depressa apice acuminata.

Arrillus elasticus, hinc dehiscens, singulum involvens semen.

Pertinet genus in *Linnaeano* systemate ad *Per-*

Pentandriam Monogyniam; in systemate vero naturali ad ordinem *Rutacearum.* De specie dissentiunt auctoros. A genuina *Diosma crenata* LINNAEI, quo nomine plerique folia *Bucco* noverunt, plantae Capenses, monente viro cl. H. C. VAN HALL (1) certe differunt. *Diosmae crenatae* enim LINNAEUS (2) tribuit folia *glanduloso-crenata, calycis folia subulata crenata;* at in nostris speciminibus folia sunt *glanduloso-serrulata, calycis laciniae subulatae, integerrimae.*

Magis cum nostra planta convenit *Diosma serratifolia* CURTIS, quam SPRENGEL (3) sic definit:

Diosma serratifolia foliis suboppositis, lanceolatis, petiolatis, patentibus, serrulatis, glanduloso-punctatis, glabris, pedunculis axillaribus, subdivisis.

SPRENGEL l. c. ad hanc speciem cum signo interrogationis refert *diosmam crenatam* L.

E-

(1) *In cujus herbario specimina satis completa, et fructibus praedita vidi.*

(2) *Systema naturae ed. 12. Holmiae 1767 vol. II p. 182.*

(3) *Systema vegetabilium ed. 16 Curante* CURTIO SPRENGEL. *Gottingae 1825. I p. 785.*

Equidem synonyma nulla adducam, cum de hisce vix quicquam certi pronunciari possit; quae autem nomine *Diosmae crenatae* apud CANDOLLIUM occurrit planta, a nostra differt foliis acutis.

Ut vero nullum dubium remaneat, quaenam tandem sit planta, de qua hic sermo est, integram hic adjiciam descriptionem caulis, foliorum fructuumque, quae ipse vidi. Flores autem ejusque partes, quas conspicere mihi non licuit, silentio praetereundas judicavi, ne harum descriptionem ex aliis depromendo, in eorum quoque errores inciderem; universa autem floris forma ex definitione generica satis elucescit.

CAULIS est fruticosus, ramis glabris, brunnei vel rubicundi, coloris ramulis suboppositis, erectis, flavescentibus, tetragonis.

FOLIA breviter petiolata, subopposita, ovato-lanceolata(4) 1—1 $\frac{1}{2}$ poll. longa et $\frac{1}{3}$ - $\frac{1}{2}$ lata, ob-

(4) *Praeter plantam descriptam foliis ovato-lanceolatis, alia etiam in nonnullis officinis occurrit Bucco forma, foliis lineari-lanceolatis, glandulis in foliorum disco minus be-*

obtusa, glabra, nitida, margine glanduloso-serrulata, supra obscure viridia, subtus pallidiora, flavo-viridia, punctis glandulosis, pellucidis, per discum dispersis, iisdemque ad marginem conspicuis.

PEDUNCULI axillares, solitarii, longitudine 2 linearum ad pollicem dimidiam, bracteolis duabus oppositis, mox sub flore praediti.

CALYX persistens, profunde quinque-partitus, laciniis subulatis, integerrimis.

FRUCTUS: capsulae quinque ovatae, compressae, flavo-virides, extus glanduloso-tuberculatae, margine interno coalitae, apice de-

---

bene apparentibus, quae respectu virium medicarum illa inferior habetur. Haec quoad ex solis foliis judicare licet, proxime accedit ad Diosmam serratifoliam DECANDOLLE *p. 714; illa autem foliis latioribus ad Diosmam odoratam* DECANDOLLE *l. c.* SPRENGEL, *quem in phrasi specifica secutus sum, utramque speciem in unam conjungit, nostram nimirum Diosmam serratifoliam.*

Utrum illa Diosmae forma foliis angustioribus, tanquam species aut varietas a nostra planta differat, meum non est dijudicare, cum ejus non nisi folia viderim, et DECANDOLLE *et* SPRENGEL *hac de re dissentiant. Hoc saltem monendum videtur, experimenta nostra instituta esse, cum planta foliis latioribus, nostramque descriptionem hanc unice spectare.*

dehiscentes, atque extus in mucronem crassum, obtusumque abeuntes.

In unaquaque capsula continetur:

SEMEN unicum, oblongum, compressum, nitidum, profunde nigrum; obtectum arillo luteo, elastico, demum in duas valvulas dehiscente.

Frutex est pedalis et altior, sponte, uti omnes *Diosmae* species in Promontorio Bonae Spei proveniens, quae ab Hottentottis cum aliis *Diosmae* speciebus, nominibus *Buccu*, *Bucco*, *Bocho*, vel *Boechoe* insignitur; hinc folia vulgari nomine veniunt foliorum *Buccu*, Belgice dicitur *Bukkubladen*, Germanice *Bukkublätter*, Angl. *Buchu Leaves.*

Sapor et odor totius plantae est aromaticus, fragrans, quod verosimiliter repetendum est ab oleo quodam aethereo, praesente in glandulis, quibus omnes fere hujus stirpis partes et praesertim folia scatent; memoratu autem dignum est, hujusmodi glandulas non modo reperiri in foliis plerarumque specierum *Diosmae*, sed

et-

etiam in aliis plantis ex generibus diversis, simul autem cum *Diosma* ad ordinem naturalem *Rutacearum* pertinentibus; hic quoque confirmatam videmus nonnullorum Botanicorum observationem, plantas unius ejusdemque ordinis naturalis saepissime etiam sapore, odore, viribusque medicis convenire. (5)

CA-

(5) In hujus plantae descriptione non parum mihi adjuvavit vir cl. H. C. van Hall, cui pro hoc beneficio consilioque gratum obtestor animum.

CAPUT III.

Experimenta Pharmaceutico-chemica.

Ad historiam et cognitionem praesertim novi et hucdum minus cogniti, atque nuperrime demum iu usum medicum introducti medicamenti, primo loco certe conferenda est sedula inquisitio principiorum constituentium, analysi chemica sola detegendorum. Plures tamen rationes, inter quas non minimum locum tenet virium juvenilium tenuitas, quibus accedit difficultas, hyberno tempore sufficientem hujus plantae copiam comparandi, me ab hoc opere suscipiendo absterruerunt. Pauca igitur tantum experimenta sequentia institui, quae ad praesentem scopum sufficientia speciminis loco inserviant.

I°. *Infusum foliorum Diosmae serratifoliae.* Sumsi foliorum Diosmae serrat. unc. ß et aquae depuratae unc. IV; quod per $\frac{1}{2}$ horae spatium vase vitreo in balneo mariae infudi.

A.

A. Proprietates physicae.

a. *Adspectus* mucilaginosus.

b. *Color* pallide fuscus.

c. *Odor* aromaticus, mixtus, sat intensus.

d. *Sapor* aromaticus, calidus, vix amarus.

B. Reagentia.

a. *Hydro-iodas potassae* et dein affusum *acidum sulphuricum*, ut et *tinctura alcoholica Jodini*, ad indicandum amilum, colorem debile violaceum exhibuerunt; indicio, habitum mucilaginosum minus ab amilaceo principio esse repetendum, licet non plane deesse videretur.

b. *Hydro-chloras peroxidi stanni liquidum* pro materia extractiva aliisque substantiis organicis, exiguam saltem turbedinem vel flocculos flavescentes exhibuit.

c. *Subacetas plumbi liquidum* vel *acetum Lithargyrii*, pro principio gummoso et extractivo, coagulum satis notabile effecit; indicio, principium gummosum hic imprimis abundare.

d. *Alcohol vini fortior*, pro mucoso vel gummoso principio similibusque, coagulationem quoque satis evidentem exhibuit, quod etiam hujus dicti principii praesentiam notare videtur.

e. *Sulphas* et *hydrochloras peroxidi stanni* pro principio tannino aliisque, nebulam notabilem coeruleo-atram monstrarunt; unde etiam hujus tannini vel acidi gallacei praesentia satis evidenter apparuit.

Observandum, infusum cum aqua frigida paratum, esse coloris minus saturati, sed saporis paulo magis aromatici.

I[b]. *Infusum foliorum Diosmae serratifoliae* ope *preli Rommelshausiani* ita paratum, ut foliorum Diosmae serrat. unc. ß et aquae frigidae depuratae unc. IV per 4 vices prelum transeant.

A. Proprietates physicae.

a. *Infusum* sat saturatum, viridi-fuscum, minus mucilaginosum, quam infusum jam memoratum.

b.

b. *Odor* et *sapor* satis intensus, aromaticus. Altero die per subsidentiam sedimentum sordide album, satis copiosum exinde est secretum; hoc sedimentum cum *potassa pura liquida* commixtum videbatur plenarie solvi, cum e contrario ab *aqua calida* affusa haec solutio vix afficiebatur.

I^c. *Infusum foliorum Diosmae serratifoliae in aqua calida* per *prelum Rommelshausianum* eodem modo paravimus ac I^b.

Actio aquae calidae non videbatur esse multo eminentior, quam quidem aquae frigidae, cum etiam repetita expressione aqua sat cito refrigerabatur; praeterea hac aqua calida infusio magis mucilaginosa facta est, et hinc difficilius in prelo elaboranda.

II. *Decoctum foliorum Diosmae serratifoliae.* Coquimus foliorum Diosmae serrat. unc. I vase vitreo, cum aquae depuratae unc. XII ad Col. unc. VIII.

A. Proprietates physicae.

a. *Adspectus* satis mucilaginosus.

b.

b. *Color* paulo magis fuscus, quam infusorum dictorum.

c. *Odor* multo minus fragrans, quam infusorum.

d. *Sapor* fatuus, vix adstringens vel amarus, minus aromaticus, quam infusorum.

B. Reagentia.

a. *Hydro-iodas potassae* cum super affuso *acido sulphurico concentrato* vel *tinctura alcoholica Jodini* pro amilo, ut in infuso, colorem leviter violaceum exhibuerunt et exigui amili copiam significarunt.

b. *Hydro-chloras peroxidi stanni*, pro materia extractiva aliisque organicis coagulum aliquod dedit.

c. *Subacetas plumbi liquidum* vel *acetum Lithargyrii* pro principio gummoso, coagulum abundans, spissum atque flavescens obtulit; indicio, hic adhuc majorem muci copiam coctione fuisse extractam, quam infusionis methodo.

d. *Alcohol* ob eandem rationem coagulum aliquatenus fibrosum exhibuit.

e.

c. *Sulphas* et *hydro-chloras peroxidi ferri* ob coagulum vel nebulam coeruleo-atram hic etiam tannini praesentiam probarunt.

III. *Extractum aquosum foliorum Diosmae serratifoliae;* hoc extractum paravimus secundum regulas, in pharmacopoea Belgica expositas.

A. Proprietates physicae.

a. *Adspectus* gelatinosus, tenax, cohaerens, elasticus.

b. *Odor* fere sub coctione periit, et jam magis cichoraceus redditus.

c. *Sapor* vix notabilis, perpaululum amaricans, fatuus, vix aromaticus.

Videntur in hoc praeparato praecipuae vires deesse et sub coctione imprimis partem aromaticam volatilem periisse. Si hoc extractum solvitur aqua, solutio vix odorem aromaticum offert, sed saporem, quem diximus, fatuum, minus gratum extracti manifestat.

B. Reagentia.

a. *Subacetas plumbi liquidum* vel *acetum Lithargyrii* turbedinem modicam effecit.

b. *Sulphas* vel *hydro-chloras peroxidi ferri* etiam iterum praecipitatum coloris coeruleo-atri prodiderunt.

IV. *Aqua destillata foliorum Diosmae serratifoliae.* Foliorum Diosmae serrat. minutim conscissorum unc IV, cum aquae depuratae unc. XXX in retortam vitream immisimus, iisque aquam affudimus, et post debitam digestionem destillavimus leni igne ad unc. XX.

A. Proprietates physicae.

a. *Color* debile lactescens.

b. *Odor* valde aromaticus, redolens ad miscellam olei Menthae, Rorismarini, Juniperi, Sabinae et Camphorae.

c. *Sapor* satis calidus, aromaticus, menthaceus.

V. Ad *oleum destillatum foliorum Diosmae serratifoliae* parandum, sumsi foliorum Diosmae serrat. unc. XII, aquae depuratae unc. XL, dein folia conscissa in retortam

vi-

vitream immisi. iisque aquam affudi; ut aqua ebulliat, ignem applicavi, abstraxi tandem unc. X et separavi l. a. oleum.

Videtur quantitas esse calculanda a XX ad XXIV grana.

A. Proprietates physicae.

a. *Oleum* decolor, limpidum.

b. *Odor* ut aquae, sed multo intensior.

c. *Sapor* sat calidus, oleo *Menthae pip.* proxime accedens.

VI[a]. *Tinctura alcoholica foliorum Diosmae serrat.* Sumsi foliorum *Diosmae serrat.* unc. ß et *alcoholis* gr. 34 unc. IV. folia contusa per octiduum digerantur cum alcohole vase clauso, dein per chartam colentur.

A. Proprietates physicae.

a. *Color* flavo-viridescens.

b. *Odor* sat intensus.

c. *Sapor* plantae fere similis, vix amarus.

Cum aqua lactescit, forsan ob oleum et partes resinosas secretas.

VI[b]. *Tincturam alcoholicam foliorum Diosmae* ser-

serrat. minus fortiorem eodem modo praeparavimus ac VI[a]; spiritus vini erat. gr. 15.

A. Proprietates physicae.

a. *Color* magis fuscus.

b. *Sapor* et *Odor* fere idem, ac tincturae prioris. Cum aqua lactescebat.

VII. *Tinctura aetherica foliorum Diosmae serrat.* Foliorum *Diosmae serrat.* unc. ß et *aetheris sulphurici* unc. IV. frigide digerantur et per chartam colentur.

A. Proprietates physicae.

a. *Color* laete viridescens.

b. *Odor* aromaticus, sed ob fortiorem odorem aetheris vix conspicuus.

Cum *alcohole* plenarie absque turbedine commiscebatur, nec aquae videbatur aliqua tradere principia. Evaporationi exposita remanebat ad parietes vasis pellicula viridescens, pellucida, imprimis resinae et chlorophylli praesentiae adscribenda.

VIII. *Spiritus destillatus foliorum Diosmae serrat.* Cepimus foliorum *Diosmae serrat.*

unc

unc. I. *Spiritus vini* gr. 10. unc. XVI. Post debitam macerationem destillavimus, ut spiritus provocatus sit graduum 19.

A. Proprietates physicae.

Spiritus summe aromaticus, penetrans, ejusdem odoris ac olei aetherei.

Cum aqua evidenter lactescit, ob depositum oleum et resinam.

IX. *Syrupus foliorum Diosmae serratifoliae.* Foliorum Diosmae serrat. unc. I, cum aquae depuratae unc. VI in aqua maceravimus horas duas modico calore et expressimus; dein liquori colato et defaecato addidimus sacchari albi unc IV et leni igne in syrupum redegimus.

A. Proprietates physicae.

Syrupus aromaticus, non ingratus, vix amarus aut adstringens, et qua remedium adjuvans commendandum.

Videtur ex hisce paucis, vires activas horum foliorum imprimis residere in principio peculiari aromatico, oleo essentiali praecipue adscribendo, ut

ut et in altero principio subamaro, resinoso, commixto cum adstringente vel tannino, quod in infusis et decoctis calidis, imprimis principio mucilaginoso, vel gummoso abundante, obvolvitur. Hinc praesertim hujus plantae infusum calidum, vel potius prelo Rommelshausiensi aqua frigida extractum, ob susceptas partes extractivo-adstringentes, aromaticas bonam formam huic remedio offert; licet additio paululi alcoholis, ad suscipiendas partes resinosas, hic non nocere videatur.

Decoctum, quoniam partes extractivas et mucilaginosas, ut et adstringentes praeceteris recepit minoresque aromatici partes continet, generatim scopo medico minus convenire videtur, si nempe, uti valde probabile est, in aromatico principio praecipuae simul resident vires. Generatim autem longa coctio hic evitanda videtur, quae non solum hasce aromaticas abigit particulas, sed simul destruendo quasi principium adstringens et obducendo muco evoluto minus activum reddit medicamentum.

A-

Aqua aromatica, oleo et aromate hujus plantae imbuta, ob conditionem nimis dilutam, remedium non satis efficax praebet, sed qua adjuvans laudari videtur; cum, si hac ratione hujus aroma applicare animus est, oleum destillatum vel spiritu solutum aut sub forma elaeosacchari validiores exserat vires.

Tincturae jam alcoholicae, imprimis, si alcohol non nimis fuerit concentratus, etiam hic ob susceptas aromaticas et adstringentes partes ab omni parte videntur esse adaptatae, nisi ipsius alcoholis immixti quantitas ipsi aegro noceat.

Spriritus destillati, cum saltem oleum continent aromaticum, et principio altero extractivo, resinoso carent, in iis casibus possunt adhiberi, ubi hujus olei vis tentanda erit et spiritus non noceat.

Syrupus tandem hujus *Diosmae*, cum paucas hujus plantae vires continere possit, vix nisi qua remedium adjuvans et saporis gratia aliis medicamentis addendus est.

Sponte tandem patet, haec folia quoque simpli-

ci

ci modo in pulverem redacta, ad usum medicum posse converti; ob indolem autem aromaticam exiguum saltem ferunt calorem, cum ab altera parte ob elasticum horum foliorum habitum, haec pulverisatio non adeo facile instituatur.

Addenda quoque hic erunt, quae de hac planta memorantur in *Diario chemico-medico* (6) in quo praeter alia analysis hujus plantae secundum CADET DE GASSICOURT sequenti modo offertur.

Centum Grammata horum foliorum praebuerunt.

Olei essentialis	0 — 665.
Principii gummosi	21 — 17.
Extracti aquosi alcoholici	5 — 17.
Chlorophylli...................	1 — 10.
Principii resinosi	2 — 151.

O-

---

(6) Journal de chemie medicale, de pharmacie et de Toxicologie. III année Janvier 1827. p. 45. et Bulletin des travaux de la société de pharmacie 13 annee — Fevrier. 1827. p. 112.

Opinatur ex his, oleum essentiale et extractum aquosum alcoholicum praecipuis proprietatibus physicis eminere et principia medica tonica et diuretica continere.

CA-

CAPUT IV.

De viribus medicis hujus plantae.

Ex iis, quae de historia litteraria et de principiis constituentibus foliorum *Diosmae* supra breviter pertractavimus, jam abunde patet, hoc medicamentum ad eximias et efficacissimas materiae medicae substantias pertinere, illique ob principium amarum, grate aromaticum deberi vires egregias roborantes, stomachicas, in quibusvis vitiis ventriculi et intestinorum a laxitate, torpore ac debilitate pendentibus, apprime utile, atque hinc in dyspepsia, colica flatulenta, diarrhaea similibusque morbis indicatum esse; cum vero principio aromatico camphorato abundet, nervis amicam, antispasmodicam et sedantem virtutem exserere; tandem cum illud medicamentum principio acri, resinoso scateat, vim egregiam possidere incidentem ac pituitam tenacem solventem; specifica vi quadam in vias urinae operantem et hinc fere in omnibus morbis vesicae atonicis,

spe-

speciatim autem in vesicae catarrho esse utilem, atque porro etiam vim exserere egregiam diureticam ac urinam pellentem et hinc in hydrope atonica indicatam esse; simul autem facile intelligitur, hoc medicamentum tantum adhibendum esse, iis in casibus, in quibus vere illud indicatur, cum ob manifestum calorem et vim stimulantem non conducat, ubi tantum minima phlogoseos indicia in corpore remaneant. Oportet igitur, ut non tantum, praemissa vsectione vel regimine antiphlogistico, corpus hoc in casu primum ad medicamenti hujus operationem quasi praeparetur et aptum reddatur, sed simul quoque sordes, infarctus caet. quaé hujus medicamenti operationi obsunt, amoveantur, atque sic boni eventus exspectari licet.

Ut autem verbo antea dicta uberius confirmentur, necesse est, ut ipsas observationes practicas aliorum aeque ac nostrorum breviter enarremus. Primo itaque observationes circa morbos vesicae, dein circa hydropem sumus memoraturi.

Observatio I.

Vir 25 annorum a tenera aetate urinae involuntariae et saepe mictui cruento obnoxius, die 22 mensis Aprilis 1825 auxilium Doct. JORRITSMA (7) imploravit. Aderat calculus in urethra, micturitionem admodum difficilem reddens, urina profunde erat colorata, foetens et mucum deponens. Sublato calculo, micturitio facilior reddebatur et urina ipsa minus foetida, valde vero erat crassa, solutioni rad. saleb fere similis, una quarta ipsius parte in fundo matulae remanente. Sub debita remediorum, his in casibus indicatorum, adhibitione aegroti status per aliquot septimanas idem mansit; confugit tum vir Doct. ad folia *Buchu;* hoc remedio assumto, continuo muci secretio multo imminuta est, ita ut aeger jam aliquoties urinam limpidam emitteret; tempore frigido aliquando mucus, multo minori ta-

(7) Observationes sunt Doct. JORRITSMA, quarum 3 priores leguntur in Diario *Algemeene Konst- en Letterbode*, Febr. 1826, p. 117, posteriores duae desumtae sunt ex literis, ab eodem scriptis viro Cl. THOM. A THUESSINK, atque ab hoc benevole mecum communicatis.

tamen quantitate quam antea, in urina conspicitur, quam ob causam hoc remedio adhuc continuatur; vires in dies increscunt et prospera viget valetudo.

Observatio II.

K. 30 annos natus jam ante multos annos diaetae perversae addictus, digestione debilitata, obstructionibus abdominalibus et haemorrhoidibus laborans, morbosa muci secretione urinae corripiebatur sine dolore vel aliis incommodis, cum muci secretio potius haemorrhoidum vices supplere videretur. Ad hoc symptoma debellandum idem vir Doct. folia *Diosmae* in pulvere cum vino rubro adhibuit, quibus adhibitis, aegroti conditio mox emendabatur, et symptoma hoc, elapsis jam quatuor mensibus, non amplius conspicitur.

Observatio III.

Vir valde cachecticus ob nimiam sensilitatem ventriculi et pulmonum sulphuretum ammoniae non ferens et uva ursi jam incassum usus, folia *Diosmae* cum remediis roborantibus combinata

 as-

assumsit, eo cum effectu, ut muci secretio statim diminueretur et mox plane cessaret; urina vero nunc profunde erat colorata. Ob magnum vero fastidium hoc remedio non amplius usus est; redibat nunc muci secretio, minore tamen copia quam antea.

Observatio IV.

In foemina nobili 55 annorum, valde hysterica et ita sensili, ut solum pulsus attactus singultum et affectiones spasmodicas produceret, morbosae muci secretioni urinae obnoxia, folia *Buchu* vir Doct. adhibuit, postquam jam antea varia remedia frustra adhibita fuerant; statim hoc remedium salutares suos praestitit effectus et curationem produxit.

Observatio V.

Vir oinopola jam per multos annos potibus spirituosis deditus, magna muci secretione urinae laborabat, cum dolore in perinaeo et difficili urinae emissione. Adhibitis foliis *Diosmae* muci secretio emendabatur, ventriculus autem, stimulo

lo spirituosorum valde assuetus, hoc remedium non diu ferebat, quod magnam excitabat aversationem, pilularum autem forma medicamentum nostrum adhibitum cum aliis remediis adaptatis plenariam sanationem produxit.

Observatio VI (8).

Dominus ..... 69 annos natus, constitutionis vegetae atque robustae, medio mense Novembris anni 1826 querebatur de doloribus fugacibus in regione vesicae, cum nisu frequenti, saepe tamen frustraneo, urinam mittendi; aderat simul febris vesperi exacerbans, sequente die conditio multo pejor erat, horae spatio decies vel duodecies quidem mingendi aderat necessitas, singulisque vicibus nihil vel parum urinae tantum prodibat, coloris profunde rubri, sed brevi obfuscantis et sedimentum catarrhale deponentis, cum dolore lumborum et inferioris partis; abdominis, continuabat febris. Cataplasmata emollientia ab initio vesicae erant imposita, augebatur vero adhuc dolor, hiru-

(8) Observationem hanc benevole mecum communicavit Doct. J. B. DE LA FAILLE.

rudines nunc apponere malueram, quas tamen valde metuebat aeger; post 3 septimanas vero sub debita remediorum adhibitione dolor et status subinflammatorius vesicae sensim est sublatus, remanebat autem continuo tenesmus ad matulam fere sine dolore et interdum urina involuntaria aderat, quae nunc multo minus erat colorata, semper turbida, valde foetens; sublata inflammatione, tentavi folia *Buchu* loco uvae ursi, singulis diebus suasi infusum theiforme ex hujus plantae drachmis duabus, cum vero, tribus diebus elapsis, exspectatum non observabam effectum, quantitatem duplicem sumsi et dein praescripsi

℞ fol. Diosmae serrat. unc. I
inf. s. q. aq. ad col. unc. X
adde
Syrupi sacchari unc. I
m.
S. omni hora cochl.

Intra 24 horas status aegroti valde emendabatur, quae emendatio quotidie pergebat; 8 diebus

post

post usum hujus remedii omnino dici potuit curatus, morbo non redeunte.

Observatio VII.

K. G. KLUNDER vir 30 annorum constitutionis satis robustae, tribus fere mensibus elapsis, correptus est febre intermittente tertiana, regularem decursum tenente, ad quam curandam, vix idonea remedia fuerant adhibita; postquam per 5 septimanas haec febris aegrotum infestavisset, extremitates inferiores primum intumescere incipiebant et paulo post etiam de abdominis intumescentia nullum supererat dubium. Quum hac in conditione die 30 mensis Octobris in Nosocomio academico fuerat receptus, sequentia symptomata sese obtulerunt.

Nulla amplius aderat febris, sed insigniter increvit ascites, ita ut, instituta abdominis percussione, aquae praesentia satis evidens redderetur; praesertim querebatur aegrotus de vago abdominis dolore, qui tamen inprimis utramque regionem hijpochondriacam occupabat, decubitus,

tum

tum in latere sinistro, tum etiam in dorso, erat valde difficilis et tussim molestam admodum excitabat, pulsus parvus, contractus, vix naturali celerior, sponte saepe oboriuntur sedes copiosae, aquosae, quae plerumque levamen adferre solent, urina parca, saepe hypostatica. Notandum est, aegrotum simul hernia inguinali laborare, quae cum machina hac in conditione hydropica retineri non potuerit, saepe foras prolabitur, ac doloris abdominalis insigne incrementum adfert.

Ab eo tempore, quo in Nosocomio adfuerit, usque ad diem 14 mensis Novembris non sine emolumento instituta est methodus, primum antiphlogistica, dein diuretica. Institutae itaque sunt 5 vsectiones, quibus omnibus sanguinem saepe valde inflammatum evacuatum fuisse, vidimus, hinc pro tempore non solum doloris emendatio producebatur, sed et saepissime aucta urinae secretione ascitidis diminutio observabatur. Remedia diuretica varia adhibita vix laudabilem praestiterunt effectum, dum aegroto nihil utilius erat, quam ut subinde sedes valde copiosae et aquosae eva-

evacuarenter. Quum adhuc aegrotus ita enumeratis incommodis obnoxius esset, inopinato iterum eum invasit febris intermittens, quae multo sudore semper ad finem pervenire solebat; symptomata hijdropica quidem tunc paulisper emendabantur, sed abdominis dolor fere idem manebat; sponte iterum siluit febris, manente aegroti conditione fere una eademque, varia tunc iterum adhibita sunt remedia resolventia, quae omnia sperato successu caruerunt, ita ut prudentius esse videretur, ut pro tempore aegrotus sese ab usu medicaminum abstineret. Quum autem abdominis dolor mense Januarii hujus anni insigne incrementum accepisset, Vsectio fuit instituta, sanguis, licet parum inflammatus, tamen doloris levamen attulit. Ab eo inde tempore per 3 septimanas nulla medicatio fuit instituta, usque dum tandem die 5 mensis Februarii praescriptum fuerit sequens remedium.

℞ fol. Diosmae serrat. unc. I
inf. s. q. aq. ad col. unc. VIII.
adde

Sy-

Syrupi cort. aurant. unc. I

m.

S. omni hora cochl.

7. Febr. Postquam hoc remedium tertia vice fuisset repetitum, urinae copiam valdequam auctam fuisse, deprehendimus, sedes etiam aquosae saepe fuerunt, caeterum abdominis dolor non emendatur.

Contin.

15. Urinae quantitas post usum hujus remedii in diem augetur ut et abdomen insigniter detumescere incipit, dolor ubivis cessare incipit, sedes naturales, viget appetitus.

Contin.

26. Hydropica abdominis conditio valde emendata, urinae quantitas aliquoties aucta, plerumque naturali vix major, omnis abdominis dolor fere cessavit.

Contin.

23. Martii. Usu continuato hujus remedii omnia hydropica symptomata evanuerunt; jam per aliquot dies laboravit diarrhaea, quae praeser-

sertim emendata est simul ac loco nostri remedii seqnens fuerit praeseriptum.

℞ rad. saleb dr. I

Solve s. q. aq. ad col. unc XII

adde

Syrupi pap. albi unc I

m.

S. omni hora cochl.

3o. Ascitide perfecte curata, ut et omnibus aliis symptomatibus emendatis, aegrotus sanatus Nosocomium reliquit.

Observatio VIII.

B. A. PRINS vir 36 annos natus, constitutionis satis sanae, mense Julii anni 1826 febre corripiebatur intermittente quotidiana, quae 9 septimanis post, nullis usus remediis, sponte siluit, sed inopinato iterum, elapsis 10 diebus, eum invasit; cum nunc iterum febris sibi ipsi relinqueret et nullas diaetae regulas observaret, symtomata hydropica se manifestare incipiebant; in initio adfuit intumescentia pedum, pedetentim ve-

vero adficiebatur ascitide et anasarca universali. Aeger medici opem implorare nunc coactus, mense Novembris in Nosocomio civili receptus est; sequentia tunc observabantur symptomata.

Adest febris tertiana regularis, insignis capitis dolor, lingua parumper est obsessa, urina secernitur parca et rubra, adest porro anasarca universalis, ascites ut et frigoris sensatio in toto corpore.

Febre hac remedio antifebrili sublata, porrigebantur remedia et roborantia et diuretica, quibus brevi omnia hydropis symptomata evanuerunt, post aliquot tempus vero, cum aëris injuriis se exposuisset, inopinato et quidem vehementius, quam antea, redierunt, ita ut simul hydrothoracis symptomata in conspectum venirent, dyspnaea scilicet, decubitus in dorso valde molestus, tussis sicca; praescribebantur iterum decocta ex remediis roborantibus et diureticis et simul linctus expectorans: incassum autem haec remedia per mensis fere spatium sunt adhibita, sequens nunc praescribebatur remedium die 20 mensis Januarii hujus anni,

℞

℞ fol. Diosmae serrat. unc. I
inf. s. q. aq. ad Col. unc. X
adde
Syrupi cort. aurant. unc. I
m.
S. omni hora cochl.

Jan. 23. Urina, quae antea fere non secernebatur, magna copia nunc de die emittitur, detumescentia jam insignis observatur, dyspnaea minor, decubitus non adeo molestus, appetitus bonus, alvus naturalis, pulsus debilis.

Contin.

26. Symptomata hydrothoracis non amplius adsunt, et omnia emendantur hydropis indicia, urinae secretio eadem quantitate pergit, queritur autem de insigni debilitate.

Contin.

29. Omnis hydrops plane evanuit, ita ut aeger perfecte sit sanatus; de debilitate autem queritur aeger.

℞ Cort. peruviani unc. I
rad. calomi arom. dr. II

coq.

coq. et inf. s. q. aq. ad Col. unc. XII

adde

Extr. card. bened. dr. II

Aeth. nitrici alcoh. dr. I

Syrupi comm. unc. I

m

S. omni hora cochl.

Febr. 6. Usu continuato hujus remedii vires in dies adeo increverunt, ut aeger curatus dimissus sit.

Observatio IX.

H. KRUGER auriga 42 annos natus, constitutionis satis robustae, mense Novembris anni 1826, cum iter faceret, febre quartana sat regulariter decurrente afficiebatur, quae post aliquot tempus sponte cessabat, dein vero de novo adgrediebatur; tempore apyrexiae aeger valde debilis et absque appetitu erat, aliquot dies post febris ingressum pedes circa malleolos jam intumescere incipiebant, quae intumescentia sensim increscebat et brevi in hydropem universalem

trans-

transibat. Die 10 mensis Decembris, multis jam usus remediis in Nosocomio civili recipiebatur et sequentia notatu digna observabantur.

Pedes et femora valde sunt tumida et digiti impressionem retinent, in abdomine, qui valde est tensus, undulatio evidens percipitur, adest dyspnaea et gravitatis sensus in pectore, febris omni tertio die redit, urina secernitur parca et sedimentosa, pulsus parvus et debilis.

℞ Sulph. chinin. gr. XX
Succi liquirit. scr. II
m. f. pil. N°. XX
S. omni hora pil.

Hoc remedio per aliquot dies assumto, nulla amplius febris symptomata conspiciebantur, aeger quoad symptomata hydropica in eadem fere versabatur conditione, urina autem paulisper increvit. Ad morbum hunc debellandum nunc varia remedia adhibebantur, uti resolventia, amara, roborantia simul cum omnibus fere remediis diureticis combinata; expertissimus CORNELISSEN *Medicus militaris primae classis*, cum nullum

in

inde effectum usque ad diem 23 Januarii 1827. observasset et jam aliquoties in tali statu atonico folia *Buchu* egregio cum effectu administrasset, ea iterum in hoc aegro, quem mihi quotidie observare licuit, adhibenda esse putabat.

℞ fol. Diosmae serrat. unc. I
inf. s. q. aq. ad Col. unc. X
adde
Syrupi Comm. unc. I
m
S. omni hora cochl.

25. Urinae secretio valde aucta deprehenditur, intumescentia pedum et abdominis aliquomodo minor, reliqua ut ante.

Contin.

28. Magnopere emendantur hydropis symptomata, ita ut in abdomine vix amplius fluctuatio percipi possit, pedes autem praesertim ad malleolos adhuc tument, pulsus minus parvus, appetitus magis viget, sedes naturales.

Contin.

Febr. 4. In dies adeo imminuta sunt hydro-

pis

pis indicia, ut aeger ex toto convaluerit; porriguntur nunc remedia roborantia, ad debilitatem remanentem corrigendam.

Observatio X.

G. J. SMIT miles 26 annorum, constitutionis robustae et sanguineae, die 13 mensis Decembris anni 1826 in Nosocomio militari recipiebatur, hydrope universali laborans, cum febrem intermittentem, aliquoties jam sublatam, diu admodum fuerat passus; postquam remediis resolventibus, diaphoreticis, amaris, dein digitali purpurea incassum usus fuerat, die 19 ejusdem mensis sulphas chininae praescriptum est, ad febrem tollendam, qua simul iterum vexabatur. Die 5 mensis Januarii hujus anni ejus conditio sequens erat.

Nulla amplius adest febris, in abdomine levis fluctuatio percipitur, facies, manus et crura valde sunt tumida, urina parca, plerumque turbida, sedes constipatae, omni alterno vel tertio die sedes una.

℞ fol. Diosmae serrat. unc. I
rad. calomi arom. dr. II
inf. s. q. aq. ad. Col. unç. X
adde
extr. Card. bened. dr. I
m.
S. omni hora 2 cochl.

6. Urinae quantitas jam est aucta et sedes 2 adfuerunt copiosae, caeterum in eadem versatur conditione.

Contin.

7. Intumescentia minor, urinae secretio valde copiosa, limpida et flava, sedes naturales.

Contin.

10. Omnia symptomata hydropica jam evanuerunt, debilitas adhuc aliqua.

25. Usu remediorum roborantium die 24 hujus mensis sanatus Nosocomium reliquit. (9)

Ob-

(9) Observationes X, XI, XII, XIII debeo benevolentiae Doct. NINABER.

Observatio XI.

Hidde de boer miles 25 annos natus, constitutionis phlegmaticae, die 20 mensis Octobris in Nosocomio militari recipiebatur, cum antea in eo per 6 septimanas morbo epidemico hujus urbis laboraverat, febris intermittens et ascites nunc aderant; aeger fere iisdem remediis, ut in observatione praecedente, usus est usque ad diem 4 mensis Januarii; sequentia tunc observabantur symptomata.

Abdomen aqua valde erat distentum, crura tumida, nulla febris, urina parca, sedimentum crassum, mucosum et rubri coloris deponens, pulsus 70, debilis et parvus, sedes naturales.

℞ fol. Diosmae serrat. unc. I
rad. Calomi arom. dr. II
inf. s. q. aq. ad Col. unc. X
adde
aeth. nitr. alcoh. dr. I
mell. comm. unc. I
m.
S. omni hora 2 cochl.

Jan. 6. Urinae secretio magna copia increvit, limpida est et non amplius sedimentum in ea conspicitur, pulsus 55.

Contin.

Febr. 11. A die 10 mensis Januarii, cum omnia hydropis symptomata jam evanuerant, sumsit aegrotus medicamenta amara et martialia, ad debilitatem emendandam; in integrum restitutae sunt vires, ita ut hac die perfecte sanus dimissus sit.

Observatio XII.

J. J. STROBOS miles 24 annorum, constitutionis satis sanae, die 29 mensis Decembris in Nosocomio militari receptus est, febre intermittente quartana et diarrhaea gravi affectus; antea jam per 4 menses morbo epidemico hic decubuerat. Ab initio hujus morbi organa digestionis valde fuerant debilitata, nunc alvus nimis erat obstructa, nunc nimis laxa. Die 4 mensis Januarii, ad diarrhaeam sistendam, praescripta est solutio e rad. *saleb* cum *ipecacuanha* et syr.

di-

diacodii et simul *epispasticum* calidum abdomini est appositum, nihil autem profuit haec curandi methodus; materia, quae evacuabatur, erat flava, plerumque autem viridis et spumans, bili corruptae similis, nonnumquam plane mucosa; insultus febrilis omni tertio die redit, in abdomine levis percipitur undulatio, facies manus et pedes sunt tumidae. Die 10 mensis Januarii dedi *sulph. chininae* eo cum effectu, ut febris non redierit.

Jan. 12. Pressione instituta in hypochondrio dextro queritur aegrotus de aliquo dolore, et cum forte inflammatio lenta in concava hepatis superficie diarrhaeae causa sit, amplum vesicans in latere dextro apponendum esse judicavi et simul praescripsi pulveres e *mercurio dulci*, *opio* cum *oculis cancrorum* et *saccharo;* incassum autem his remediis usque ad diem 15 continuavit; hydrops pedetentim magnum incrementum ceperat et vires ob continuam diarrhaeam valde erant imminutae, die 16 sequens praescriptum est remedium.

℞

℞ fol. Diosmae serrat. unc. I
rad. saleb scr. II
inf. s. q. aq. ad Col. unc. XII
adde
Syrupi diacodii unc. I
m.
S. omni hora 2 cochl.

Postquam hoc remedium per 2 dies sumserat, urina, quae antea parca admodum secernebatur, magna copia aucta est, materia, sedibus evacuata, erat naturalis, pulsus 55.

Jan. 26. Intumescentia hydropica minor in dies deprehenditur, sedes etiam valde sunt imminutae et naturales vix superant.

Contin.

Febr. 9. Usu continuato hujus remedii symptomata hydropica perfecte sunt emendata, queritur autem de insigni debilitate.

℞ Cort. peruviani unc. I
lich. Island. dr. II
Coq. s. q. aq. ad Col. unc. XII
adde

Sy-

Syrupi diacodii unc. ß

m.

S. omni hora 2 cochl.

24. Hydrope curata et omnibus aliis symptomatibus morbosis emendatis, aegrotus sanatus dimissus est.

Observatio XIII.

J. ABELS vir 23 annos natus, constitutionis sanae et sanguineae, die 25 mensis Novembris 1826, afficiebatur febre intermittente, cum hepatis inflammatione complicata, tota corporis superficies colore flavo erat tincta et in regione hepatis de dolore pungente querebatur aegrotus. Remediis antiphlogisticis et hirudinibus, in loco affecto positis, statim conditio illa inflammatoria est sublata, febris autem regulari tempore rediit, sed tandem usu sulph. chininae est profligata. Sanus nunc per aliquot tempus vixit, usque dum die 3 mensis Januarii hujus anni iterum auxilium implorare coactus fuit; sequentia tunc observabantur notatu digna.

Fa-

Facies, manus et pedes oedemate tument; abdomen tumet et concussione instituta, aquae praesentia satis evidens percipitur, urina fere nulla secernitur, pulsus et sedes naturales.

℞ fol. Diosmae serrat. unc. I
inf. s. q. aq. ad Col. unc. X
m.
S. omni hora 2 cochl.

Jan. 7. Urinae quantitas jam secundo die, assumto hoc remedio, insigni copia secernebatur, pulsus, qui in initio 70 ictus numerabat, nunc vix 50 superat, detumescentia magna conspicitur; caeterum recte valet.

Contin.

20. Ad diem 12 hujus mensis aeger hoc remedio continuavit, nullis hydropis indiciis amplius conspicuis, et die 20 usu remediorum roborantum sanatus Nosocomium reliquit.

Ob-

Observatio XIV (10).

K. Steenbergen, sartorius, 55 annorum, constitutionis sanae, satis robustae, cum autumno anni 1826 morbum epidemicum per 14 dies passus fuerat, dein recte valuit, si excipias oedema pedum, qua laboravit, quod quidem durante hyeme rursus evanuit, sed tamen mense Februarii 1827 rediit; identidem quoque venter intumescere incipiebat et attactu dolebat; urina parca copia evacuata erat rubra, sedimentosa; sitis magna; lingua plerumque sicca; sedes naturales; raro vomitus; vesperi flatulentia et abdominis intumescentia; febris nulla. In initio, ad sensilitatem nimiam delendam, mixtura oleosa Diacodiatis imbuta praescripta est, cui dein tincturae Digit. purp. gutta et oxym. Squillae addita sunt, eo cum effectu, ut dolor et sensilitas diminuta, urina vero non majori copia evacuata sit; tandem adhibebatur die 20 mensis Martii remedium sequens.

℞

(10) Hanc observationem benevolus mihi tradidit Doct. de Vries Reilingh.

℞ fol. Diosmae serrat. unc. I ß
inf. s, q. aq. ad Col. unc. XVI
adde
oxym. Squill. unc. I ß
m.
D. S. omni hora $\frac{1}{2}$ vasculum.

22. Urina copiosior evacuatur; queritur tamen adhuc de intumescentia abdominis, praesertim vespertino tempore.

Contin.

25. Nunc durante nocte insignis urinae quantitas emittitur cum facilitate et levamine; abdominis intumescentia heri vesperi fere nulla fuit; appetitus admodum viget; sedes naturales manent.

Contin.

28. Omnis evanuit hydrops, et diebus praecedentibus multae librae urinae adhuc emissae sunt; nunc vero naturalis manet micturitio, et vir ab omni parte recte valet.

Haec conditio prospera die 10° mensis Aprilis sub diaeta accommodata adhuc vigebat.

Ob-

Observatio XV (11).

J. H..., ancilla in Pago *Collum*, 30 annorum, antea semper sana, in fine mensis Novembris levi afficiebatur febre cum dolore articulorum, inprimis extremitatum inferiorum, cum rigiditate et appetitu prostrato; hoc in statu per aliquot dies degens, nullis utebatur remediis et quotidie aëris injuriis se exponebat; nunc in conspectum veniebant hydropis indicia, praeprimis extremitates inferiores intumescere incipiebant, et abdomen etiam brevi tanta aquae copia repleta erat, ut vix incedere posset aegrota.

Die 1° mensis Decembris auxilio meo invocato, praescripsi decocta resolventia et simul diaphoretica, quibus in universum aegrotae conditio paulisper emendata est, hydrops vero in diem increvit. Urina erat valdè parca et turbida; sedes autem, appetitus uti et somnus erant naturales.

Multis remediis ad hydropem curandam ad diem

(11) Observatio haec benevole mecum communicata est a Doct. ZWARTS e Pago *Collum*.

diem 17mum hujus mensis usque incassum jam adhibitis, sequens praescripsi remedium.

℞ fol. Diosmae serr. dr. VI
Inf. s. q. aq. ad Col. unc. VIII
adde
Aeth. Nitr. alcoh. dr. II
Syr. Commun. unc. I
M. S. omni hora cochlear.

20. Postquam hoc medicamentum tertia vice assumtum fuerat, nullum inde effectum observavi, et aegrota adhuc in eadem versatur conditione.

Repet. inf. ult.
adde
fol. Diosmae serr. dr. VI
D. S. ut ante.

28. Urinae secretio jam per aliquot dies valde aucta deprehenditur, praesertim mane magna quantitas emittitur; detumescentia insignis observatur; caeterum recte valet aegrota.

Contin.

Januar. 5. Ad hunc usque diem 16 unciis hujus *Diosmae* adhibitis, nulla amplius hydro-

pis

pis symtomata conspiciebantur et aegrota perfecte sana dici poterat, qua prospera conditione die 19 mensis Aprilis hujus anni adhuc gaudebat.

Observatio XVI.

H. D. B. foemina tenera 28 annorum, mense Augusti 1826 febre continua remittente corripiebatur, quae dein in febrem intermittentem transibat, aliquoties sponte vel artis auxilio cessantem, dein vero de novo adgredientem, aegrota in dies debilis evadebat, et, elapsis 6 septimanis, symptomata hydropica se manifestare incipiebant, quae autem, adhibitis debitis remediis, statim sunt emendata, ante 3 septimanas febris iterum rediit, et non multo post hydropis indicia reverterunt. Variis remediis resolventibus, roborantibus et diureticis denuo adhibitis, cessavit febris, hydrops vero pedetentim increvit. Hac in conditione die 23 mensis Februarii hujus anni aegrotam visitare mihi ipsi licuit, et sequentia tunc sese obtulerunt symptomata.

Adest vesperi febris aliqua admonitio, magna

de-

debilitas, lingua obsessa, appetitus deletus, pulsus parvus et celer, facies leucophlegmatica, pedes et femora valde sunt tumida et digiti impressionem retinent, abdomen tumidum est et levis undulatio percipitur, urina fere nulla, rubra, aliquoties sedimentum deponens, sudor nullus, queritur de oppressione pectoris et tussi.

℞ fol. Diosmae serrat. unc. I
inf. s. q. aq. ad Col. unc. X
adde
Syrupi Comm. unc. I
m.
S. omni hora ½ vasculum.

Febr. 26. Heri et hodie iterum adfuit insultus febrilis cum frigore et sudore, qui, febre finita, per totam diem remanet, urinae secretio magna copia aucta est et naturali multo major deprehenditur, intumescentia hydropica jam imminuta est, appetitus bonus.

Mart. 1. Febris sponte desiit, abdominis intumescentia multo minor, urinae copia eadem, pul-

pulsus minus debilis, caeterum tussis et pectoris oppressio non emendantur.

Contin.

℞ Spec. pectoral. m. II

S. pro infuso theiformi.

5. Conditio hydropica uti et tussis et pectoris oppressio valdequam est emendata, vesperi pedes adhuc tument, urina copiosa, debilitas adhuc aliqua.

Contin.

10. Postquam aegrota ex discordia cum conjuge animi pathemati gravi et aëris nocturni injuriis se exposuerat, inopinato febris per 2 vices rediit valde gravis, frigus diu duravit et nullo fere sudore terminata est; pedes multo magis sunt tumidae.

Omittatur hodie infusum fol *Diosmae* et

℞ sulph. chinin. scr. I

Succi liquirit. scr. II

m. f. pil N°. XX.

D. S. omni horá 2 pil.

13. Febre, usu hujus remedii, sublata, aegrotae

tae conditio multo melior evasit, urina iterum magna copia secernitur; intumescentia autem magna observatur.

Repet. Inf. fol Diosmae serrat.

D. S. ut ante.

21. Sensim omnia hydropis indicia evanuerunt et in pristinam sanitatem est restituta.

Hisce jam prelo mandatis Doct. SIMON Medicus Leovardiensis cum Cl. Praeceptore litteris communicavit, se egregios expertum esse effectus ab adhibitione infusi foliorum *Buchu*, in homine septuagenario, haemorrhoidibus vesicae laborante, cui per 5 septimanas ter de die catheterismus applicari debebat; jam vero absque hoc auxilio sponte et sine incommodo urinam emittit, quae, licet adhuc flocculenta sit, tamen quotidie sub usu hujus remedii ad statum naturalem magis accedit.

T A N T U M.

THE-

THESES.

I.

Pro regula generali haberi potest, quod, quo laxior sit corporis alicujus materies, eo citiori ac vehementiori corripiatur putredine.

II.

Succo gastrico in ciborum digestione nimium tribuisse censemus SPALLANZANIUM, *nimium contra de viribus ejus specificis detraxisse* MONTEGRIUM *atque* CHAUSSIERIUM. *Etenim non est generale omnium ciborum menstruum; neque ab altera parte haberi debet pro humore solummodo diluente ac solvente et salivae simili.*

III.

Non concedimes eorum sententiae, qui nervos vitae organicae e systhemate nervorum ex-

E *pun-*

pungi volunt; quin imo statuimus, inter nervos sympathicos et vitae animalis haud certos esse limites vel characteres.

IV.

Qui autumant, sedem vel causam proximam febrium intermittentium ideo esse ponendam in liene, quia hoc organon post mortem tam saepe mole auctum et emollitum offenditur, errare mihi videntur, nam, salvo liene, saepe etiam eaedem illae morbosae mutationes in aliis organis, uti hepate et cerebro inveniuntur.

V.

Probabilior itaque, mihi illorum sententia videtur, qui statuunt, idem illud periculum omnibus internis organis imminere, si durante paroxysmo febrili, ob singulares rationes sanguis majori cum impetu magis ad unum quam ad aliud organon ruat. Id tamen lubenter fateor, lien propter compagem magis laxam prae aliis organis huic sanguinis accumulationi et inde obortae degenerationi organicae esse obnoxium.

VI.

VI.

Circa miasmatum et ita dictorum morborum contagiosorum naturam adhuc caecutimus, nec et empirice, multo minus rationaliter eorundem naturam cognoscimus. Iidem morbi saepe in uno subjecto manifeste contagiosi sunt, dum in alio quaevis contagii indicia abesse videantur. Certe et hic plura debent concurrere, quae morbum eundem vel contagiosum vel non contagiosum praestant, a nobis hucdum a priori non determinanda.

VII.

Confirmant dicta, quod diu fomes febrium, praecipue intermittentium in corpore latere possit iners et non evolutum, dum hae febres sese aliquando demum post menses evolvant in regionibus, in quibus nullae hujus indolis febres observari solent, apud subjecta, quae ex loco, in quo febres intermittentes epidemice grassabantur, huc advenerant.

VIII.

Non putandum in omni casu sulphatem chini-

ni-

ninae *cortici* peruviano *esse substituendum ac ubivis pro hujus succedaneo haberi posse; licet enim vis omnis roborans hujus remedii non abneganda sit, tamen experientia satis probavit, nos divino corticis ipsius remedio carere non posse, dum relapsus certius praeveniat, et virtus* sulphatis chininae *se maxime ad eorumdem accessum tollendum determinet, nec sequelas, debilitatem et atoniam febre productam curet. Praestat itaque post sedatum accessum, ad novum praeveniendum, dare decoctum corticis peruviani vel ipsius pulverem, amaris, aromaticis, vel martialibus, pro variis rebus circumstantibus maritatum.*

IX.

Quamvis Cl. PORTAL putat, peritonitidem *per se idiopathicam locum non habere, tamen contrariae observationes ejus existentiam satis probant.*

X.

Fungus medullaris per se incurabilis est habendus.

THESES.

XI.

Scirrhus glandularum a carcinomate tantum differe videtur periodo varia, qua sese offerunt.

XII.

Licet vires plantarum medicae non semper eruantur ex cognita compositione chemica, analysis autem chemica horum vegetabilium ideo non negligenda, quia doctrinam chemicam amplificat atque illustrat, medicam autem saepius egregie adjuvat.

AAN MIJNEN VRIEND

F. G. NOURIJ,

BIJ ZIJNE BEVORDERING TOT

Doctor in de Geneeskunde.

Welaan dan, Zangster! stem de snaren
En juich met d'ed'len vriendenkring,
Dewijl mijn vriend den prijs ontving,
Tot loon van welbestede jaren;
Speel, blij van geest, een kunstloos lied,
Daar 's Doctors heil mijn hart kan strelen,
En ik in d'eigen vreugd mag deelen,
Die hem de dag van heden biedt.

'k Zie u den tempel uitgetreden,
't Getuigschrift van uw ed'le vlijt,
Mijn vriend! de Bulle u toegewijd
Voor straks betoonde kundigheden;
De Raad bood u die plegtig aan,
Hij, die getrouw verdiensten huldigt,
En 't loon, aan uwe vlijt verschuldigd,
Wordt, door hem, naar waardij voldaan.

De kraus, die 'k u het hoofd zie sieren,
Wijst u naar schooner oefenbaan,
Die kraus, gekweekt door eigen daân,
Moog nu met regt uw kruin omzwieren.

Mijn

Mijn hart, dat voor uw welzijn slaat,
Ylt u opregt, welmenend tegen,
Brengt u, gevoelig voor dien zegen,
Een heilwensch in uw nieuwen staat.

O! 'k zie uw waarde als arts verhogen,
Wanneer gij 't kind, dat hulp'loos schreit,
Door kunde en onvermoeijde vlijt
Zijn droeve tranen af kunt droogen;
Maar, als ge eens aan een doodsbed toeft,
Waar 't huisgezin den man ziet sterven,
Waar wees en weduw alles derven,
En men uw raad, uw troost behoeft,

Dat dan gevoel, dat menschenliefde,
Uw hart tot ed'le bijstand noop'!
Geef troost en lenigende hoop,
Verzagt de weedom, die hen griefde.
Werk zoo tot heil der maatschappij.
Zacht moge uw levenshulkje drijven;
Uw naam in dankbre zeg'ning blijven,
Wen eens uw baan ten einde zij!

Dit is de bêe van een dier vrinden,
Wiens hart nooit, bij uw heil, zich sloot,
Die, in denzelfden vriendenschoot,
Met u eens waar geluk kon vinden.
En zal, ofschoon het lot ons scheidt,
Die vriendschapsband nooit zijn ontbonden,
Maar blijven hecht en ongeschonden,
Als in onze Academietijd.

M. L. TYL,
J. U. D.